



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 2. Aëris, per imbre, beneficia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

piantur calore; sunt, qui alterutro, sunt qui  
vtroque, ad virtutē durentur. De Lappis &  
Finnis Septemtrionalibus scribit Zieglerus,  
in Scondia, aëris eos frigidissimi libertate  
non gaudere tantūm, sed & juuari adeò, vt,  
quandocunq;, in Sueciā, negotiorum caus-  
sa, veniunt, nunquam domos intrent, sed  
sub dio tantūm versentur, atq; cubent pel-  
libus inuoluti. Obesi, & alij quoq; non obe-  
si, hieme, &, dum bruma riget, sunt sanio-  
res: resq; omnes frigido, quàm calido cælo  
diu iùs asseruantur.

## §. II.

*Aëris, per imbreem, beneficia.*

At ex aëre pruina descendit? Quid tum?  
descendit & ros, in teneris pecori gratissimus  
herbis. In aëre spiritus procellarū? In aëre va-  
pores, & ex ijs nubes; ex his pluuiæ, niues,  
grandines, si magis magisque constringan-  
tur? Quid tum? ibi est & officina fertilitatis: Aristotel.  
inde imbræ, velut per cribrū, guttatum ter- I. Meteor.  
ram irrigant; inde niues, semina, tanquam cap. 9. 10.  
lanæ, per hiemem, conteguunt. Et qui nescit,  
quid sit pluuijs earere, Eliæ historiam legat,  
in qua inueniet has minas & pœnas: Vixit 3. Reg. 17.  
*Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sio, non* <sup>I.</sup>  
*erit, annis his, ros & pluvia.* Alibi autem, in-

ter

ter beneficia, imbres numerantur, precibus

**3. Reg. 8.** à Numine impetranda. Si clausum fuerit ca-

**35.** lum, & non pluerit, propter peccata eorum, & orantes, in loco isto, pœnitentiam egerint nomine tuo, & à peccatis suis conuersi fuerint, propter afflictionē suam: exaudi eos, de cælo, & dimitte peccata seruorum tuorum, & populi tui Israël: & ostende eis viam bonā, per quam ambulent; & da pluuiam super terrā tuam, quam dedisti populo tuo in possessione. Tria indicantur hic. Primo, pluuias suspendi, & claudi cœlum, propter peccata. Secundo hanc ipsam pœnā siccitatis esse mortalibus in medicinam, ea enim ad pœnitentiā adducuntur, & docentur, ex oculis imbres lacrymarum fundere, si velint, fundi imbres de cælo. Tertio, pluuias oratione & pœnitentia impetrandas, tanquam beneficium. Quare, alio loco, di-

**Eccl. 35.** citiū: *Speciosa misericordia Dei, in tempore tri-*

**26.** *bulationis: quasi nubes pluiae in tempore siccitatis.* Si pluiae beneficium est, quo modo

**Basil. Sel.** malum? Si à Deo imbrum pincerna, vt Basilius Seleuciæ loquitur, quomodo, aut cur

**orat. 11.** pincernæ irascimur, cū & Reges pocillatores suos ament, ac præmio afficiant? Et vel hinc agnoscant mortales, pluiarū ac tempestatum, justā illam caussam, facilem, vincibilem, optimam.

§. III.